

Addiscite lilia agri qualiter augetur, non laborant, neque nent. Dico autem uobis, quoniam neque salomon in omni gloria eius circumindutus est sicut unum horum.

Commented [ND1]: [fol.83vb]

Dicens de necessario cibo, et monstrans quod nichil pro hoc oportet sollicitos esse, ad id quod leuius est pertransit iam. Neque enim ita necessarium est indumentum sicut cibus. Cur igitur non utitur et hic eodem exemplo uolucrum, neque dicit pauonem, et cignum, et ouem? etenim multa talia exempla erat inde accipere. Quoniam uult alterutrinque monstrare super habundantiam, et a uilitate, tali participantium decore, et a munificentia pulcritudinis data liliis. Propter hoc quando ea instruxit, neque lilia ea iam uocat, sed foenum agri, et neque in nomine hoc sufficit, sed rursus aliam utilitatem apponit dicens. Hodie existentia, et non dixit cras non existentia. Sed quod multo rursus est deficientius quod in clibanum mittitur. Et non dixit induit, sed ita induit. Vide ubique multas super habundantias, et intensiones. Facit autem hoc, ut eos tangat. Propter hoc nimirum, et induxit, non multo magis uos? Etenim multam habet, et hoc ostentationem. Vos enim nichil aliud est enigmatace insinuantis, quam multitudo honoris et dignitatis, huius generis. Ac si diceret, uos quibus animam dedit, quibus corpus plasmauit. Propter quos omnia quae uidentur fecit, propter quos propheta misit, et legem dedit, et decem milia operatus est bona, propter quos unigenitum filium tradidit. Postquam autem demonstrauit manifeste, tunc et iniungit dicens, parum fideles. Tale enim est qui consiliatur, non ammonet solum, sed et tangit, ut erigat amplius ad persuasionem eorum quae dicuntur. Ab his nos, non docet non sollicitos esse solum, sed neque trepidare ad pretiositatem uestimentorum. Herbae enim est hic decor, et herbae est hec pulcritudo. Magis autem et pretiosius est foenum, tali stola. Quid igitur magna sapientia in quibus uictoria apud herbam est, cum multa super habundantia? et uide qualiter ex ipsis proemiis leue monstrat hoc preceptum. Rursus a contrariis eos, et a quibus formidant abducens. Dicens enim addiscite lilia agri, induxit non laborant. Quare a laboribus nos eruere uolens, haec iussit. Non igitur, non sollicitos esse his, est labor, sed sollicitos esse. Et quemadmodum dicens, non seminant, non semen euertit, sed curam, ita dicens, non laborant, neque nent, non opus destruxit sed sollicitudinem. Si autem salomon uictus est a pulcritudine eorum, et non semel, neque bis, sed per totum regnum eius. Neque enim habet aliquis dicere, quoniam nunc quidem talibus circum amiciebatur, postea autem non ultra, sed neque in uno die ita decoratus est. Hoc enim significauit dicens. In omni regno eius. Et non ab hoc quidem uictus est flore, alium autem imitatus est, sed omnibus simul cessit. Ideoque dixit ut unum horum, quantum enim ueritatis ad mendacium, tantum uestimentorum illorum, et florum horum est medium. Si ergo ille confessus est uictionem, qui omnibus regibus aliquando generatis fuit preclarior, quando tu uincere poteris, magis autem prope uel parum talem speciositatem effici. Hinc nos erudit, neque uniuersaliter cupere talem pulcritudinem. Vide nimirum eius finem, post hanc uictoriam in clibanum mittitur. Si autem circa uilia, et nulla digna cura, et quamlibet tribuentia utilitatem, tantam prouidentiam deus demonstrat, qualiter te pertransibit, omnium maxime necessarium animal? Cur igitur ita bona ea fecit? ut suam sapientiam demonstret, et superhabundantiam uirtutis, ut undique eius gloriam discamus. Non enim caeli soli enarrant gloriam dei, sed et terra. Et hoc dauid ostendens dixit, laudate dominum ligna fructifera, et omnes cedri. Hec quidem per fructum, haec autem per

Commented [ND2]: uel add. super lin.

Commented [ND3]: probat add. super lin.

Commented [ND4]: circum add. super lin.

Commented [ND5]: uel studii add. super lin.

Commented [ND6]: hominis add. super lin.

Commented [ND7]: precipit add. super lin.

Commented [ND8]: uel Talis add. super lin.

Commented [ND9]: [fol.84ra]

Commented [ND10]: in his add. super lin.

Commented [CN11]: formidabant add. super lin.

Commented [ND12]: uel operam add. super lin.

Commented [ND13]: potest add. super lin.

Commented [ND14]: saltim add. super lin.

Commented [ND15]: uilem add. super lin.

Commented [ND16]: [fol.84rb]

magnitudinem, haec autem per pulcritudinem mittunt factori laudationem. Multae enim et hoc super habundantiae et sapientiae est signum. Cum et ad ualde uilia, quid enim uilius eo quod hodie est et cras non est, tantam effundit pulcritudinem. Si ergo foeno ea quae non sunt inutilitate dedit, quid enim eius pulcritudo ad ignis cibum confert, qualiter tibi quae sunt inutilitate non dabit? Si quod omnibus est uilius, decorauit ex super habundantia, et haec non ad utilitatem, sed ad munificentiam faciens, multo magis te uniuersis honorabiliorem, in his quae secundum utilitatem sunt honorabit. Postquam itaque demonstrauit multam dei prouidentiam existentem, et oporteret, increpare iam, et hic utitur uenia, non infidelitatis, sed paruae fidelitatis eos incusans. Si enim foenum agri ait, deus ita circuminduit, multo magis uos parum fideles, et haec omnia ipse operatur. Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est neque unum. Sed tamen nusquam sui ipsius meminit interim. Sufficiebat enim ad monstrandum auctoritatem interim, hoc id est dicere secundum singulum mandatorum audistis quoniam dictum est antiquis, ego autem dico uobis. Ne igitur mireris cum et in posteribus occultat seipsum, uel humile aliquid de seipso loquitur. Vnum enim studebat interim facile susceptibilem eis effici sermonem, et per omnia monstrare, non deo contrarium quendam existentem, sed concordantem et conuenientem patri. Quod nempe et hic facit. Tantos enim consumens sermones, continue ipsum in medio ponit. Et sapientiam eius ammirans, prouidentiam, procurationem, quae per omnia est et per magna, et per parua. Etenim quando de iherusalem dixit, ciuitatem magni regis eam nominauit. Et quando caeli meminit, thronum rursus nominauit dei. Et quando de dispensatione eorum quae secundum mundum sunt disputabat, ei rursus omnia asseribit dicens, quoniam solem suum oriri facit, super permitiosos et bonos, et pluit super iustos et iniustos. Sed et in oratione docuit dicens, quoniam ipsius est regnum, et uirtus, et gloria. Et hic de prouidentia eius disputans, et monstrans qualiter et in paruis optimus artifex est ait, quoniam foenum agri circuminduit. Et nusquam sui ipsius patrem uocat, sed illorum, ut et in ipso honore tangat. Et cum sui ipsius dicat patrem, non ultra molesti sint. Si autem pro nudis et necessariis, non oportet sollicitos esse, qua utique erunt digni uenia qui pro preciosis solliciti sunt, magis autem qua utique erunt uenia digni, qui neque dormiunt, ut quae aliorum sunt capiant. Ne igitur solliciti sitis dicentes, quid comedemus, uel quid bibemus, uel quid circum amiciemur. Omnia enim haec gentes mundi inquirunt. Vides qualiter eos et euertit magis, et ostendit, quoniam neque graue, neque honerosum precepit. Sicut igitur cum dicebat, si dilexeritis eos qui diligunt uos, nichil magnum facitis, etenim ethnici hoc faciunt, a memoria ethnicorum eos erigebat ad maius, ita et nunc in medium illos ducit, tangens et monstrans, quoniam necessarium expetit a nobis debitum. Si enim scribis et phariseis plus ostendi oportet, quo utique erimus digni, qui non solum illos non superexcedimus, sed et in ethnicorum uilitate manemus, et eorum pusillanimitatem zelamur? Non tamen usque ad increpationem stetit, sed tangens hinc et erigens eos, et conuertens cum superhabundantia uniuersa et aliunde deprecatur dicens. Nouit enim pater uester caelestis quoniam opus habetis his uniuersis. Non dixit nouit deus, sed nouit pater, ut eos in maiorem spem ducat. Si enim pater est, et pater talis, non poterit despiciere filios in ultimis malis. Cum utique neque homines patres existentes, hoc sustinent. Et aliam autem cum hoc rursus inducit cogitationem, qualem utique hanc? quoniam opus habetis eis. Quod autem dicit tale est. Numquid enim superflua sunt haec ut contempnat? Quamuis neque in superfluis contempsit in foeno. Nunc autem et necessaria sunt. Quare quod estimas causam esse tuae curae, hoc sufficiens esse aio, a cura hac te abducere. Si enim dixeris, quoniam propter hoc me oportet sollicitum esse quia necessaria sunt, contrarium ego aio, quoniam propter hoc ipsum potius ne sollicitus sis, quia necessaria sunt. Si enim superflua essent, neque ita sperare pro illorum largitione oporteret. Quia autem necessaria sunt, non ultra dubitare oportet. Qualis enim est pater, qui sustinet neque necessaria tribuere pueris?

Commented [ND17]: [fol.84va]

Commented [ND18]: apponit add. super lin.

Commented [ND19]: increpet add. super lin.

Commented [ND20]: uilibus add. super lin.

Commented [ND21]: [fol.84vb]

Commented [ND22]: sollicitudinis add. super lin.

Commented [ND23]: audere add. super lin.

Commented [ND24]: filiis add. super lin.

quare et propter hoc omnino prebebit deus. Etenim conditor naturae ipse est, et necessitatem eius cum certitudine nouit. Neque enim hoc utique habes dicere, quoniam pater quidem est, et necessaria sunt quae dicuntur, ignorat autem quoniam in necessitate eorum constituti sumus. Qui enim naturam ipsam sciuit, et conditor eius factus est, et talem eam plasmauit, manifestum est quoniam et utilitatem eius nouit, te magis qui in necessitate eorum constitutus es. Etenim hoc ei placuit, ut in tali necessitate sit ipsa. Non igitur aduersabitur his quae uoluit, constituens quidem in necessitate talis utilitatis. Priuans autem rursus, utilitate et necessariis eam. Ne igitur curemus. Nichil enim nobis erit amplius, quam tendere nosmetipsos. Cum enim et sollicitis et non sollicitis existentibus tribuat, et magis non sollicitis existentibus, quid tibi amplius ab hac cura, quam uindictam, te ipsum superfluam expetere. Neque enim ad copiosum habiturus prandium aliquis, pro **lasciua** tolerabit sollicitus esse. Neque qui ad fontem uadit, pro bibendo sollicitus est. Ne igitur neque uos et fonte uniuerso, et decem milibus coenis preparatis copiosiore habentes largitionem **dei** prouidentiam, solliciti simus, neque pusillanimes existamus. Cum predictis enim, et aliam cogitationem rursus pro **confidendo** de his talibus ponit dicens. Querite regnum caelorum et haec omnia apponentur uobis. Quia enim retraxit a cura animam, tunc et caelorum meminit. Etenim antiqua resoluturus uenit, et ad maiorem uocaturus patriam. Propter hoc omnia facit ut a superfluis nos eripiat, et a compassione quae est ad terram. Propter hoc et ethnicorum meminit dicens, quoniam gratias inquirunt haec, quibus labor uniuersus est secundum presentem uitam, quibus cura nulla est defuturis, neque intelligentia est caelorum. Vobis autem non haec sunt **principalia**, sed alia. Non enim propter hoc nati sumus, ut manducemus, et bibamus, et circum amiciamur, sed ut placeamus deo, et futuris potiamur bonis. Si igitur in **studio** preter opus sunt haec, ita et in petitione preter opus sumto. Ideoque dixit, petite regnum caelorum, et haec omnia apponentur uobis. Et non dixit dabuntur, sed apponentur, ut discas quoniam nichil eorum quae dantur, quae presentia sunt, est ad magnitudinem futurorum. Propter hoc utique neque petere ea iubet, sed petere quidem alia. **Audere** autem quasi et **his** apposisit illis. Quere igitur futura, et accipies, et presentia, non pete quae uidentur, et omnino **potieris**. Etenim indignum te est, **adire** dominatorem **de** talibus. Qui enim uniuersum studium et sollicitudinem pro donis illis ineffabilibus debes facere ualde te ipsum confundis, in concupiscentiam fluentium rerum consumens te ipsum. Qualiter igitur ait non iussit panem petere? Sed super substantialem apposuit, et **hinc** rursus hodie, quod et hic facit. Non enim dixit non solliciti sitis, sed ne solliciti sitis procrastino, simul et libertatem nobis tribuens, **et** animam nostram affigens, his quae magis sunt necessaria. Etenim et illa petere propter haec iussit, non ut deo indigente rememoratione quae est a nobis, sed ut discamus quoniam cum eius auxilio dirigimus quecumque utique direxerimus, et ut familiares ei efficiamur, continua de his petitione. Vides qualiter et hic suasit quoniam suscipient presentia omnino. Qui enim maiora tribuit, multo magis minora dabit. Non enim propter hoc ait dixi non sollicitos esse neque petere, ut miseri sitis et nudi circumeatis, sed ut eorum in superhabundantia sitis. Quod utique maxime omnium sufficiens erat eos attrahere. Quemadmodum igitur in helemosina prohibens eos ostendi hominibus, in hoc maxime suasit in promittendo cum ampliori id tribuere munificentia eis, pater enim tuus ait qui uidet in absconso, reddet tibi in manifesto, ita et hic retrahens eos non querendo ea, in hoc maxime suadet, in promittendo non querentibus cum ampliori tribuere superhabundantia. Propter hoc enim iubeo ait non querere, non ut non accipias, sed ut copiose, ut accipias cum decente te scemate id est figura, cum conueniente tibi utilitate. Vt non sollicitus existens neque rescissus in horum curam, indignum te ipsum et his et spiritualibus constituas, ut non miseriam superfluam sustineas, et a proposito rursus excidas, ne solliciti sitis de crastino. Sufficiens enim est diei malitia eius, hoc est miseria, contricio. Non sufficit tibi in sudore uultus tui comedere panem tuum? quid et aliam

Commented [ND25]: gule add. super lin.

Commented [ND26]: [fol.85ra]

Commented [ND27]: id est add. super lin.

Commented [ND28]: uel audendo add. super lin.

Commented [ND29]: uel prima add. super lin.

Commented [ND30]: nostro add. super lin.

Commented [ND31]: uel confidere add. super lin.

Commented [ND32]: quae hic add. super lin.

Commented [ND33]: eternis add. super lin.

Commented [CN34]: his add. super lin.

Commented [ND35]: petere add. super lin.

Commented [ND36]: uel pro add. super lin.

Commented [ND37]: uel hoc add. super lin.

Commented [ND38]: [fol.85rb]

apponis miseriam quae est a curis et a primis iam dissoluendus laboribus? Malitiam autem hic ait, non peritiam. Absit, sed miseriam, et laborem, et calamitates. Quemadmodum igitur et alio ait. Si enim malitia in ciuitate quam dominus non fecit. Non rapinas dicens, neque inuasiones, non aliud aliquid talium **nichil**, sed plagas, quae desuper feruntur. Et rursus. Ego ait faciens pacem, et creans malum. Neque enim hic malitiam ait, sed fames, et pestilentias, quae uidentur esse mala apud multos. Consuetudo enim est multis, haec dicere mala. Ita igitur et quinque satraparum illorum sacerdotes et arioli, quando uaccas subiugantes arcae sine uitulis dimiserunt ambulare malitiam, a deo illatas plagas illas uocabant, et tristitiam et dolorem, eis ex ipsa innatam. Hoc itaque et hic significat dicens. Sufficiens est diei malitia eius. Nichil enim ita dolorem infert animae, ut sollicitudo et cura, ita et paulus in uirginitatem inducens, consulebat iam dicens. Volo autem uos non sollicitos esse. Cum autem dicat quoniam crastina dies sollicita erit de se ipsa, non ut die sollicita existente hec ait. Sed quia ad plebem imperfectiorem sermo erat ei, uolens manifestius facere quos dicitur, prosopopeiam facit temporis, secundum multorum consuetudinem loquens ad eos. Et hic quidem consulit, procedens autem, id et in legislationem deducit dicens. Ne possideatis aurum, neque argentum, neque peram in uia, quia enim per opera ostendit ea, tunc iam et legislationem quae est a uerbis inducit ualidiorem, quando et facile susceptibilis sermo factus est, operibus suis prius certificatus. Vbi igitur ostendit **opera**? Audi enim dicentem, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Neque in hoc sufficit solo, sed et in discipulis, tribuit hanc apodixim id est demonstrationem, et eos ita informans, et non dimittens ullo indigere. Intende autem eius, et **procuracionem**, qualiter patris omnis superexcedit amorem. Hoc enim iubeo ait, propter aliud quidem nichil, sed ut uos eruam a superfluis curis. Et si enim hodie non sollicitus eris procrastino, et rursus cras sollicitus eris. Quid igitur quod **superfluum est**? quid cogis diem amplius sortita ei miseria recipere, et cum propriis laboribus, et honus superuenientis diei ei apponens? Et haec facis in nullo alium diem ab hac adiectione que fit alienaturus, sed super habundantias solum superfluum laborum ostensurus? Vt enim magis eos tangat quasi tempus ipsum animans, ceu iniusta patiens, inducit et ipsos dies clamantes aduersus eos, pro superflua hac uexatione. Etenim accepisti diem, ut quae eius sunt cures. Cur igitur et que alterius diei sunt ei apponis? Numquid non sufficiens habet honus suam curam? Quid igitur eum aggrauas magis? **Cum autem legislator haec dicat, et qui nos est discreturus, intellige qualiter nobis benignam subtendit spem, cum ipse testatur, quoniam misera eius uita haec, et laboriosa, ut et unius diei cura sufficiat, ad flagellandum et conterendum nos. Sed tamen tantis et talibus predictis, nos pro his quidem solliciti sumus. Pro his autem quae in celis sunt, non adhuc, sed conuertimus gratiam, alterutrinque impugnantes ea quae dicuntur. Intende enim ne queratis quae presentia sunt, ait uniuersaliter. Nos autem haec querimus continue. Querite quae caelestia sunt, ait. Nos autem neque per paruam horam illa querimus, sed quantum pro uitae huius rebus ostendimus sollicitudinem, tantam in spiritualibus habemus paruipenditatem, magis autem et multo ampliorem. Sed non semper haec procedunt, neque semper haec conueniunt. Ecce decem dies contempnimus, ecce uiginti, ecce centum, non necesse est omnino abire, et incidere in manus iudicantis? sed habet mitigationem tardatio, et qualis mitigationem per unumqueque diem expectare penam, et supplicium? Si enim uis mitigationem quandam a tarditate hac accipere, accipe correctionem, quae est a penitentia fructificans. Etenim **si tardare supplicium refrigerationem quandam esse estimas, multo magis emolumentum est non incidere in supplicium. Abutamur igitur tarditate hac, ad hoc ut omnino eruamur ab imminentibus malis. Neque enim honerosum neque triste, aliquid inuictorum est. Sed ita facilia sunt omnia, et leuia, quod electionem solum inferentes propriam, omnia possumus explere, et si decem milibus fuerimus obnoxii delictis. Etenim manasses abhominaciones infinitas ausus erat. Etenim aduersus****

Commented [ND39]: [fol.85va]

Commented [CN40]: per add. super lin.

Commented [ND41]: uel affectionem add. super lin.

Commented [ND42]: [fol.85vb]

Commented [ND43]: Morale xxii. quoniam oportet nos preeligere bonum totum enim, deus dirigit, et de petendo deum continue et robuste spiritualia *notum in marg.*

Commented [ND44]: uel supponit add. super lin.

Commented [ND45]: uel transuertimus add. super lin.

Commented [ND46]: [fol.86ra]

Commented [ND47]: uel consilium add. super lin.

sancta manus extendit, et inquinamenta in templum induxit, et occisionibus ciuitatem impleuit, et multa alia operatus est uenia maiora, sed tamen post tantam et tam magnam iniquitatem, uniuersa illa lauauit. Qualiter et quomodo? Penitentia et consilio. Non enim est nullum peccatum, quod non cedat, et subiciatur penitentiae uirtuti. Magis autem christi gratiae. Etenim si transmutemur solum, ipsum habemus qui copulatur nobis. Et si uolueris effici bono, nullus est qui prohibeat. Magis autem est quidem prohibens diabolus, non tamen potest te optime preeligente. Et ita deum attrahente, ad concertationem. Si autem tu nolueris, sed resileris, qualiter pro te obiciet se? Neque enim ui et necessitate, sed uolentem uult saluare. Si enim ipse famulum habens, odio habentem te et auertentem, et continue resilientem et fugientem, non utique eligeres detinere, et haec faceres indigens eius mysterio, multo magis deus qui non propter propriam utilitatem, sed propter tuam salutem omnia facit? non utique eligeret te ui detinere. Quemadmodum igitur si electionem ostenderis solum, non utique eligeret te umquam abicere neque si quodcumque diabolus fecerit. Quare nos causa perditionis nostrae sumus. Neque enim accedimus ad eum, neque interpellamus ei, neque deprecamur, ut oportet. Sed et si accesserimus, hoc facimus, non ut debentes accipere, neque cum decenti fide, neque ut expetentes, sed oscitantes et pigritantes hoc facimus. Quamuis uult expeti a nobis deus, et gratiam habet tibi ob hoc multam. Solus enim hic debitor cum expetitur, gratiam habet, et quae non mutuati sumus dat. Et siquidem uehementer iniacentem uiderit eum qui expetit, et quae non accepit a nobis soluit. Si autem pigritantur, et ipse retardat, non quia non uult dare, sed quia libenter uult a nobis expeti. Propter hoc tibi et exemplum dixit illius amici, qui nocte accedebat, et panem petebat, et iudicis qui deum non timebat, neque homines uerecundabatur. Et non stetit usque ad haec exempla, sed et in ipsis operibus id ostendit, cum foenicem illam mulierem magno munere implens, emisit. Per hanc enim quoniam et quae non decentia sunt ex petentibus uehementer, dat ostendit. Non enim bonum est ait accipere panem filiorum et dare canibus, sed tamen dedit, quia ualde eum expetiit. Per iudeos autem manifestauit, quoniam pigritantibus neque quae eorum sunt, dat. Non igitur acceperunt aliquid illi. Sed et quae eorum sunt perdiderunt. Et hii quidem quia non petierunt, neque propria acceperunt. Illa autem quia uehementer imminuit, et quae aliena erant potuit defendere, et quae filiorum erant accepit canis. Tantum bonum est insessio. Et si enim canis fueris, insidens preponeris filio pigritanti. Quantacunque enim non explet amicitia, tanta expleuit assessio. Ne igitur dicas quoniam inimicus meus est deus, et non exaudiet, confestim tibi respondet, continue molestanti. Et si quia non es amicus, sed quia insides, et neque inimicitia, neque importunitas, neque aliud aliquid fit prohibitio. Ne dicas, non sum dignus, et non oro. Etenim syra foenix mulier talis erat, ne dicas quoniam multa peccasti, et non possum deprecari eum, quia iratus est. Non enim dignitatem deus inspicit, sed consilium. Si enim principem deum non timentem neque homines uerecundantem inflexit uidea, multo magis eum qui bonus est, attrahet continua interpellatio. Quare et si non amicus fueris, et si non ea quae debentur petieris, et si paterna comedisti, et si multo tempore extra uisum fueris, et si ignobilis, et si omnium ultimus, et si uato, et si molesto accesseris, uelis solum orare, et reuertere, et omnia accipies, et iram, et condemnationem confestim extinguas. Sed ecce oro ait, et nichil fit amplius. Non enim oras secundum illos, puta, foenicem dico, et amicum importune accedentem, et uidea quae continue molesta erat iudici, et filium, qui paterna consumpsit. Si enim ita orares, cito potireris. Etenim et si contumeliam passus sit, pater est, et si iratus sit, amator filiorum est. Et unum petit solum non uindictam accipere contumeliarum sed uidere te penitentem, et deprecantem. Vtinam et nos ita calidi effecti essemus, ut illa uiscera ad nostrum amorem erigamus. Sed occasionem inquirat solum hic ignis. Et si paruam ei tribuas scintillam, integram beneficii accendis flammam. Neque enim quoniam iniuriam passus est, molestus est, sed quia tu iniurius es, et ita effectus es

Commented [ND48]: uel mente *add. super lin.*

Commented [ND49]: uel consiliante *add. super lin.*

Commented [ND50]: uel consilium *add. super lin.*

Commented [ND51]: [fol.86rb]

Commented [ND52R51]: De orando est instantia *notum in marg.*

Commented [ND53]: uel sed tantum *add. super lin.*

Commented [ND54]: uel agit tibi *add. super lin.*

Commented [ND55]: uel agit *add. super lin.*

Commented [ND56]: uel instantia *add. super lin.*

Commented [ND57]: uel insidens *add. super lin.*

Commented [ND58]: instantia *add. super lin.*

Commented [ND59]: uel instans *add. super lin.*

Commented [ND60]: [fol.86va]

Commented [ND61]: uel mentem *add. super lin.*

Commented [ND62]: deum *add. super lin.*

Commented [ND63]: regionem *add. super lin.*

Commented [CN64]: que *add. super lin.*

Commented [ND65]: uel studiosi *add. super lin.*

ebrius. Si enim nos pernitiosi existentes, filiis iniuriantibus pro illis dolemus, multo magis deus qui neque iniuriam pati potest pro te qui iniuriatus es, molestus est, si nos qui natura diligimus, multo magis qui super naturam amator est. Et si enim oblita fuerit ait, mulier filiorum uentris eius, sed ego non obliuiscar tui. Accedamus igitur ad eum, et dicamus utique domine. Etenim canes comedunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum. Accedamus **oportune** importune. Magis autem nunquam est **inoportune** accedere. **Inoportune** enim est non continue accedere. Concupiscentem enim dare semper, semper oportunum petere. Sicut enim respirare nunquam inoportunum, ita neque querere, sed neque querere est inoportunum. Etenim quemadmodum respiratione hac indigemus, ita et auxilio quod est ab ipso. Et si uouerimus facile ipsum attrahemus. Et hoc innuens propheta, et monstrans continuam beneficii preparationem, dixit ut mane paratum inueniemus eum. Quotiescunque enim accesserimus expectantem quae a nobis sunt uidebimus. Si autem nichil ab **emanante** eius uirtute hauriamus, nostra accusatio hoc est, hoc itaque et iudeis, incusans dixit, misericordia mea, ut nebula matutina et ut ros matutinalis, secus pertransiens, quod autem dicit tale est. Ego quidem quae a me ipso sunt uniuersa prebui. Vos autem sicut sol calidus superueniens, et nebulam, et rorem, **percutit** et occultat, ita per multam malitiam ineffabilem reprimitis munificentiam. Quod et ipsum rursus, prouidentiae est. Cum enim et indignos uiderit pati bene, continet beneficia, ut non desides nos **operetur**. Si autem parum transmutemur, et tantum quantum cognoscere quoniam peccauimus super fontes **emanat**, super pelagus effunditur, et quanto plus accipis tanto magis laetatur. Et ita ad ampliora dandum exurgit rursus. Etenim diuitias **proprias**, nostram extimat salutem, et dare copiose petentibus. Quod et paulus significans dixit. Diues existens a dominis, et in omnes, qui inuocant eum. Cum enim non petierimus, tunc irascitur. Cum non petierimus, tunc auertitur. Propter hoc, pauper factus est ut nos diuites operetur. Propter hoc et omnia illa sustinuit, ut nos prouocet ad petendum. Ne igitur desperemus, sed habentes tantas occasiones, et benignam spem, et si per unamquamque diem peccauerimus, adueniamus deprecantes, supplicantes, dimissionem peccatorum petentes. Ita enim et ad peccandum desidiores iam erimus, **et** diabolum expellemus, et dei filanthropiam, id est amorem hominum inuocabimus, et futuris potiemur bonis, gratia et filanthropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria, et imperium in secula seculorum amen.

Commented [ND66]: [fol.86vb]

Commented [ND67]: inoportunum uel intemperatee
add. super lin.

Commented [ND68]: uel intemperatee *add. super lin.*

Commented [ND69]: id est nos *add. super lin.*

Commented [ND70]: irrigante *add. super lin.*

Commented [ND71]: depellit *add. super lin.*

Commented [ND72]: uel faciat *add. super lin.*

Commented [ND73]: uel irrigat *add. super lin.*

Commented [ND74]: suas *add. super lin.*

Commented [ND75]: [fol.87ra]